
184

M

45

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 M 45




Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 M 45

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 M 45



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 M 45



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 M 45



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 M 45

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 M 45

Kw 184 M45

STEPHANI LE MOYNE

S. S. Theologiæ D. & Profeſſoris in celeberrima Batavorum Lugdunenſi Academia.

ORATIO INAUGURALIS DE *Jeſu vero Meſsia.*



LUGDUNI BATAVORUM,

Apud DANIELEM à GAESBEECK.

cIↄ Iↄ CLXXVII.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 M 45

KONINKLIJKE BIBLIOTHEEK

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 M 45

CELSITUDINI REGIÆ

Sereniſſimi

GULIELMI III.

DEI GRATIA

PRINCIPIS AURIACI.

AUGUSTISSIMORUM GERMANIÆ

CÆSARUM

POTENTISSIMORUM

GALLIÆ

MONARCHARUM

INVICTISSIMORUM MAGNÆ

BRITANNIÆ REGUM

DIVINO SANGUINE

CRETI.

DUCIS FORTISSIMI.

* 2 FOEDE-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 M 45

FOEDERATORUM BELGARUM.

TERRA MARIQUE

IMPERATORIS HÆREDITARII.

PATRIÆ LIBERTATIS VINDICIS ACERRIMI.

ECCLESIÆ DEFENSORIS FIDELISSIMI.

ACADEMIÆ LUGDUNENSIS TUTORIS BENIGNISSIMI.

EVERGETÆ SUMMI.

OB MAGNIFICAM, NUPER IN SE COLLATAM RECTORIS DIGNITATEM.

HOC QUALECUNQUE

SUÆ

GRATITUDINIS

MONUMENTUM.

S. E. V. L. L. M. Q.

STEPHANUS LE MOYNE.

MAGNI-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 M 45

MAGNIFICE D. RECTOR. ILLUSTRIS ET NOBILISSIME D. CURATOR. AMPLISSIMI. ET. SPECTATISSIMI. D. PROCERES. FLORENTISSIMAE. REIPUBL. LUGDUNENSIS. QUIQUE. IIS. ESTIS. A. CONSILIIS. ET. SECRETIS. REVERENDI. CONSULTISSIMI. EXPERIENTISSIMI. CLARISSIMI. D. D. PROFESSORES. COLLEGAE. HONORANDI. PASTORES. VENERANDI. DOCTORES. ERUDITISSIMI. OMNIUM. DENIQUE. ORDINUM. QUOTQUOT. ADESTIS. NOBILISSIMA. GENEROSISSIMA. ET. LECTISSIMA. CORONA.

IN Actis Martyrii Petri Alexan. epiſcopi Res ſatis memoranda narratur, illum n. epiſcopatus dignitate decoratum, Templum Alexandrinum frequenter ſubiiſſe, exemplo ſuo plebem ſibi concreditam à ſummo animarum paſtore, ad pietatem, ſupremique numinis cultum indeſinenter flexiſſe, zeloque ardentiſſimo domus Dei, indefeſſaque de Eccleſiis Ægyptiacis ſollicitudine, omnibus ſe commendaſſe. Nunquam tamen Templum ſubibat niſi tremebundus & attonitus. Ad nomen D. Marci primi Alexandrini epiſcopi, totus obſtupeſcebat. Ad conſpectum ſuggeſti quod aſcendiſſe Evangeliſta credebatur, totus cohorreſcebat, & ut cathedram quam inſederat vir ille Deo plenus conſcenderet Petrus noſter nunquam a ſe potuit

impetrare. Tanti tribunalis dignitati optime ſe conſulturum putabat, ſi in inferiori ſubſellio alios doceret, & vili præſentia ſua nihil detraheret & delibaret tam Illuſtri & venerando pulpito, quod Evangeliſtæ fama, doctrina, pietate, miraculis, longe lateque micare & radiare videbatur? Tanquam ad *Φρικτὸν μυστήριον*, ardentemque rubum attonitus, propius accedere verebatur, & ad imos montis pedes hærens, ſupremum verticem penetrare non ſibi permittebat.

Idem me veluti tremor percellit Auditores, ad hujus ſuggeſtus conſpectum terror neſcio quis me totum invadit, nec poſſum in animo revolvere meo, magna illa nomina, inſignes illos veritatis aſſertores, qui hunc Locum toties occuparunt, quin pallore ora notentur, vox quaſi faucibus hæreat, frigus per artus graſſetur, mentiſque quaſi turbatæ, cordiſque deliquium fere patientis, varia oculos veſtros feriant indicia. Quid enim mihi cum iſtis Heroibus quos divina providentia tam feliciter ſuſcitavit, ad nominis ſui decus, ad regni ſui pomæria longe lateque diffundenda, ad infernales catervas tam potenter fugandas, & debellandas, ad promovendam fæliciter gloriam hujus Academiæ, famam quæ terminat aſtris, & cui tot aliæ hodie celeberrimæ, deferunt ſubmiſſis faſcibus imperium.

Tranquillat tamen, Auditores, tranquillat mentem turbatam humanitas veſtra. Tranquillat illa iſta patientia qua per plures annos, heu nimis me morantem, expectare, ſollicitare, honeſtis interpellationibus urgere non eſtis dedignati. Tranquillat illa comitas qua tandem poſt varios caſus & tot diſcrimina rerum, me huc appulſum eccepiſtis. Tranquillat denique illa ipſa Materia de qua nunc apud vos ſum dicturus, de Jeſu

vero

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 M 45

vero Meſſia, & Chriſto duce & auſpice Chriſto, jam ſentio terrorum iſtorum nubes disjici & evaneſcere. Æterne Jeſus benigne & ſuaviſſime Meſſias, adſis primitiis conatuum noſtrorum, unge nos unctione tua quæ nos ducat in omnem veritatem, mentem noſtram firma, dirige cor & Linguam, & fac ut quæ dicturi ſumus in hac frequentiſſima Corona, cedant in nominis tui gloriam, æternumque dedecus illorum, qui veritati tuæ bellum indixerunt internecinum, & in dignitatem nomenque tuum tam impotenter debacchantur.

Mirum eſt vero, Auditores, juxta ac lachrymis ſanguineis deplorandum, Hoſtes inveniri Meſſiæ noſtri. Qui pacem omnibus tam benigne obtulit, qui humili, ſimplici, fraudis, irarum experte, agni indole, ita ſe commendavit, qui veris Meſſiæ Characteribus ita diſtinctum ſe & ornatum exhibuit, ut qui illum pro Meſſia habere recuſaverit, næ illum proterve ineptientem, improbe cæcutientem, velo ſeptemplici involutum, glaucomate horrendo percuſſum eſſe, neceſſario fatendum ſit. Nam ſi viſo numiſmate quod Domino noſtro exhibebant fraudibus & dolis conſuti Phariſæi, ex ectypo ſtatim agnoverunt effigiem eſſe Cæſaris. Ex typis ex figuris ex prophetiis antiquis, ex cumulatiſſimo illo juxta ac ornatiſſimo effigierum choragio, quod naturas, perſonam, officia, beneficia, varios ſtatus Jeſu Chriſti tam perfecte delineabat, an non facile deprehendi poteſt, imaginem eſſe Meſſiæ, opuſque illud muſæum, teſſellatiſque particulis vermiculatum & compactum, nobis ob oculos referre, & ἀκριβῶς repreſentare, Dominum noſtrum Jeſum, Regem Regum, dominum dominantium, qui lucis periboleo, & longo ſplendoris ſyrmate tanquam radiante purpura veſtitus, Cœlum

ut thronum inſidet, terramque pedibus conculcat tanquam ὑποπόδιον

Et revera hoc in negotio admodum depredicanda venit ſummi numinis bonitas, ac provida ſapientia. Nam cum imbecillitatis noſtræ, accifarumque virium noſtrarum probe conſcius eſſet, tam vivis coloribus, tam naturali partium ſitu, tam prototypo omnia reſpondentia aptavit ac συνηρμῶσεν, ut qui oculos aperire voluerit, nihil illi ſuperſit ulterius, quod poſſit deſiderare.

Noſtra quippe intererat, Auditores ornatiſſimi, & in eo fortunæ noſtræ fundamenta erant collocata, ut duorum præcipue hominum, clara diſtincta & perfecta cognitio ad nos uſque dimanaret, ut unum amore flagrantiſſimo coleremus, alterum vero odio perfectiſſimo & pluſquam vatiniano ſemper proſequeremur. Ambos vero Divina providentia tam clare & nitide nobis deſignavit, ut ea de re nunc dubio & hæſitationi nullus ſuperſit locus.

Deſignavit Antimeſſiam, Antichriſtum, filium perditionis, urbem ἑπτάλοφον incubantem, ſanguine ſanctorum madidum, Reges philtris ineſcantem, populos poculo medicato inebriantem, jura Dei involantem, dignitates infra ſe demittentem & proterentem, conſcientias vinculis ferreis innodantem, Doctrinas dæmoniorum ſedulo promoventem, mundanis opibus inhiantem, omni deliciarum, ſuperbiæ, & luxus genere diffluentem. His & ſimilibus coloribus, adeo graphice depingitur, ut eo veniente, Eccleſiamque inuadente primo ſtatim intuitu illum agnoſcere facile poſſimus, & ab omni cum illo conſortio penitus deterreri. His tam facile animo noſtro ſe ingerentibus notis ingeminare vide-

re videtur divina providentia attentis auribus noſtris, hic eſt ſcopulus ad quem ſi allidat cymba veſtra, ſtatim fracta dehiſcet & undis obruetur.

Hic Saxa rapidis clauſa vorticibus tegit
Fallax Caphareus.

Hic eſt non agnus ille Dei qui tollit peccata mundi, ſed hic eſt Leo Rugiens qui pecorum laceris artubus & ſanguine cuncta reſpergit. Hic eſt vulpes Halapanta, fraudibus nectendis nemini ſecundus. Ἑκὰς ἑκάς ἐϛε καθαροὶ.

Heu fuge crudeles terras fuge littus avarum.
Fugite jam pueri at que ſenes latet anguis in herba,

ſerpens ille antiquus, beſtia arundinea, animis perniciem moliens, morſu effundens venenum,

Infernamque ſuo ſpirans de corde mephitim.

Ex alia vero parte Meſſiam fontem omnis boni, cuſtodiam Iſraelis, deſiderium gentium, Patrem Luminum ex quo omnis perfecta donatio, mirando penicillo nobis effigiavit, intentiſque variis digitis indicavit & demonſtravit, ut ad hauriendas aquas alacres advolaremus, ut ad ejus vexilla intrepidi accederemus, & ut mediis in ejus radiis hilares exultaremus.

Quid enim eſt Semen illud quod caput ſerpentis elidere & tam fœlici conatu debebat conterere? Meſſias, qui diabolum de ſede & arce deturbavit, ejus imperii ſubruit fundamenta, infernaleſque Furias in curru Crucis ſuæ traduxit triumphatas.

Quod nam eſt ſemen illud in quo benedicendæ veniebant omnes mundi familiæ. Meſſias per quem Pater nobis benedixit omni benedictione ſpirituali & cæleſti, & qui inſtar inſularum Fortunatarum arboris decantatiſſimæ, caput fæcunda gratiarum divinarum nube circumdatus, eas largiter fundit, & per Eccleſiæ areas

 derivat,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 M 45

derivat, ut ſic omnigenæ ſanctitatis fructibus ubique coronetur.

Quis iſte Silo de quo Jacobus Patriarcha Geneſ. 49? Meſſias pacificus ille, qui eliminato infeliciſſimo, & truculentiſsimo bello, pacem cum Deo, cum Angelis, cum creaturis, cum nobis ipſis fæliciter redintegravit, & ad cujus ortum hæc crebris & alternis repetitionibus aptiſſime ingeminari potuerunt

Ultima Cumæi venit jam Carminis ætas
Magnus ab integro ſæclorum naſcitur ordo
Ecce redit Virgo redeunt Saturnia regna.

Quis iſte אהיה Exod. 3. qui præſentiſſima ſolatia languenti populo ſuo ſe præbiturum pollicebatur. Meſſias inquam Auditores, qui licet æternus Deus, futurus tamen erat homo, Pharaonis giganteos triumphos & inſolentes minas illuſurus, Ægyptios vindictæ ſuæ fluctibus abſorbturus, populum ſuum ex Erebi faucibus erepturus, & in æternam libertatem fæliciter aſſerturus. Quis ille propheta καθ᾽ ἐξοχὴν quem Moſi ſimilem, Deus eccitare debebat? Meſſias Jeſus noſter, qui balbutientis oris ſui pretextum nunquam movit, ut muneris tam gravis rationes detrectaret, ſed æternum Verbum Patris, Sapientia cæleſtis, arcana patris ſui, & myſteria regni cælorum revelavit & reſeravit; qui non inſtar Jonæ prophetæ mandatum recuſavit, ſed onus licet difficillimum in ſe recipere non dedignatus eſt, & qui poſt illuſas mortis horrendi ſcilicet monſtri, φοβερῶν φοβεροτάτου fauces, totius orbis Ninivem peccati vino ſomnoque ſepultam, miraculoſe eccitavit, & ad veram ſinceramque penitentiam feliciter perduxit.

Quis ille Sacerdos ſecundum ordinem Melchiſedeci. Jeſus Sacerdos Altiſſimi, Pontifex ille maximus, Deus, Sacer-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 M 45

Sacerdos, Altare, victima, qui cruento ſuo ſacrificio, & Decios, & Curtios, & ἀνθρωποθυσίας, & Hecatunbas, & Holocauſta infinitis numeris & paraſangis ſuperavit.

Quis ille Rex, Filius, cujus imperium extenditur ad ultimas uſque terræ partes Pſ. 2? Jeſus ſacerdos & Rex,

Rex Ieſus, Rex idem hominum, Iovæque ſacerdos.

Rex ille potentiſſimus qui voluntati imperat, qui ſuorum affectus regit, qui corda laſcivientia, indomita, jugi impatientia, potentioribus Regibus inacceſſa Loca peruadit, cicurat, mulcet, & moderatur. Qui imperii ſui pomœria ad orbis uſque fines promovit.

Quemque Tago memorant, totoque oriente ſubacto
Primitias ſummo ſepoſuiſſe Patri.

Quænam eſt illa ſtella de qua Num. 23. Meſsias ſtella Jacobi, ἀνατολὴ ἐξ ὕψους, Sol ille juſtitiæ, qui radiantibus alis ſuis eccleſiam tegit, æterna Luce colluſtrat, calore ſuo fovet, uberrimiſque effluviis & ἀποῤῥόιαις, vitæ principia & immortalitatis germina longe lateque diſſeminat.

Quænam eſt illa rupes cujus opus eſt perfectiſſimum. Deut. 33. Meſsias Auditores. Rupes illa עולמי & ſeculorum Meſsias, Judæorum cæcis fluctibus adortus, Orci procelloſis tempeſtatibus impetitus, ſpumantibus Erebi torrentibus quaſi merſus, ſed qui tamen immotus, ingruentes undarum cumulos repulſavit, verticeque tempeſtates altiſsime ſuperante, furores illos eliſit, &

Vanas riſit ſine viribus iras.

Sed ut multa paucis contraham, ire quippe per omnia prohibent materiæ ubertas & temporis anguſtiæ. Meſsias virgine ſatus dias in luminis auras tandem prodire debebat. Jeſus ex virgine naſcitur, ex utero auroræ procedit juventus ejus. Græmiumque virginale

Prima

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 M 45

Prima illi vitæ janua ſorſque fuit, ut nimirum vitæ ſanctimonia celeberrimæ, morti miraculis fætæ, Aſcenſioni Capitolinos triumphos tot paraſangis ſuperanti, non deeſſet glorioſa narivitas. & ab ortu ad occaſum uſque, miraculorum radiis undique coruſcaret.

Meſsias Betlehemum ortu ſuo debebat illuſtrare. Jeſus Betlehemi prima vitæ ſuæ conſtituit incunabula. O tu Betlehem tu non es minor inter urbes Ephratæ. Jactet Creta mendax Jovis ſui cunabula, jactet Pella Pellæum juvenem, jactet Coos Hippocratem, jactet Acrida Juſtinianum, jactent Homerum, Smyna, Rhodos, Colophon, aliæ que tot urbes de tam glorioſa nativitate tam acerbe digladiantes. O tu Betlehem major es inter urbes totius orbis, quæ naſcens vidiſti æternum Cæli Numen, quæ vagientem eccepiſti, qui oris ſui verbo cæli polos aſſervit, terræque altiſsimas columnas firmavit & radicavit; quæ jacentem panniſque & linteis obvolutum eum comſpexiſti, qui potentiſsima manu ſua, longas & ponderoſas totius orbis habenas flectit & moderatur.

Meſsias natus Betlehemi, debuit in Judæa vivere & Templum ſecundum frequentare. Veniet in Templum ſuum, & gloria ſecundæ domus prioris domus gloriam multis numeris ſuperabit, quia pax in ultima domo efflorefcet & habitabit. Jeſus in Templo fuit aſsiduus, & auguſta preſentia ſua ultimam domum ſæpius illuſtravit, adeo ut ſecunda domus tanto hoſpite ſuperbiens, de gloria cum prima domo, licet orbis miraculo, jure ac merito contenderet. Donec impleto vaticinio ſuperba illa moles funditus everteretur, & ruinis æternis ſepulta cum Synagoga, cultu Levitico, aliiſque Judæorum Tem-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 M 45

Templis penitus deleretur. Et in eo ſe ſupra modum attollit Divina Sapientia, quod ubicunque terrarum, nullum voluerit ſupereſſe Judæis Templum vel Sanctuarium.

Samaritani Templo in monte Gariſim admodum ſuperbiebant, ſed Temporibus Hircani plane dirutum fuit. Hieroſolyma propter Templum ſuum, admodum ſibi gratulabatur, ſed Romani Locum everterunt, craſſiſsimorumque marmorum diſſoluta compage, lapidem ſuper lapidem non reliquerunt, æternique monumenti rudera, disjecta jacuerunt. In Heliopolitano Templo, exigua ingentis ſolatia Luctus ſe inventuros ſperabant palabundi Judæi, hoc que pacto priora damna non infæliciter reparaturos. Sed ſpes ſtatim decollavit, & Romanus Præfectus tanquam Cherubinus ad valvas Templi Heliopolitani, flammantibus minis, ſanguineoque decreto aditum prohibuit, procul que exeſſe Judæos violenta lege cœgit. Temporibus Juliani Apoſtatæ, ſpes non levis affulgebat reparandi Templi Hieroſolymitani; non infæliciter ſuccedebat temerarium iſtud negotium. Iam læta fundamenta aſſurgere videbantur,

Creſcebant media pegmata celſa via.

Sed ædificatorum exultantium & ſibi plaudentium, ſupra caput ſtatim ingens adſtitit imber. Ignis flamma ventus undique data porta ruerunt, πνεύματα illa λειτουργικὰ, Tremendi illi Lictores & apparitores juſtitiæ divinæ, totis viribus obſtiterunt, ſpeſque luxuriantes Iudæorum, creſcenteſque in dies animos, cum affecto jam opere, ſubito deturbarunt.

Sed quod magis mirandum eſt, A. O. In ipſa nunc Hieroſolyma, Moſquæa attolluntur, quæ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 M 45

Caput inter nubila condunt.
Chriſtinianorum ſacella in illa adornantur, Latini, Græci, Armenii, Ægyptii Copti, Æthiopes, ſua quique poſſident ſacrorum ſuorum Loca, annuentibus ferocibus Turcis, Chriſtianiſque nullum negotium ea de re faceſſentibus. Sola gens Iudaïca tali beneficio fraudatur, nec vi, nec arte, nec auro, cujus ſacra fames, Turcarum corda impotentiſsime cogit, obtinere potuerunt, ut Templo reſtaurando, ſacris reparandis, Sanctuario priſtinæ gloriæ reſtituendo, vigiles incumberent. Indicio manifeſto, Oracula adimpleta eſſe, iſtius Templi Hieroſolymitani curam homines nunc non attingere, diuque ante, præſentiâ D. n. j. adeptum eſſe ſplendidiſſimum decus illud, quo aliquando radiare & coronari debuerat. Verum quidem eſt Auditores, nec id in veritatis gratiam, Judæorumque dedecus diſſimulandum putamus, verum quidem eſt, quod verpæ, quo ſe vertant neſcientes, Tertium Templum aliquando conſtruendum ſibi fingant, prioribus auguſtius, amplitudine multo Majus, materiâ multo ſplendidius, elegantia multo præſtantius, Inſtrumentis, vaſis, Anathematis, multo ditius, victimarum frequentia multo nobilius, ſacerdotum ordine & cultu multo ſanctius, in quod tandem aliquando ingredi, hocque præſentiâ ſuâ cohoneſtare debeat deſideratiſſimus Meſſias. Sed quid eſt delirare ſi hoc non eſt? quid eſt infantium vagitus, crepundiorum ſplendore & tinnitu mulcere, ſi hoc non eſt? quid eſt per, Scripturam & Religionem graſſari ſi hoc non eſt? Ubi de tertio illo Templo ſicut de primo & ſecundo proſtant vel minima aut obſcuriſſima vaticinia? Quis mirandæ iſtius Ædis Architectus venturus memoratur? cujus principis decre-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 M 45

decreto tanta moles, toti orbi tremenda ædificari concedetur? & poſt miraculorum iſtud miraculum, quid peragendum ſupererit advenienti Meſſiæ. Exſtabit jam Templum,

Monumentum ære perennius,
Regalique ſitu Pyramidum altius,
Quod non imber edax, non Aquilo impotens,
Poſſit diruere, aut innumerabilis
Annorum ſeries, aut fuga temporum.

Sacerdotum ordo priſtino decori erit reſtitutus, Hieroſolyma nunc ſolo æquata, mæniis, propugnaculis, ædificiis, incolis, artibus, opibus erit Florentiſſima. Reſpublica Judaica excuſſo Tyrannorum jugo & variis rebus bene geſtis, jam erit ſui juris, & priſtinæ gloriæ faſtigium jam multum ſuperabit; & quid tandem reliquum futurum eſt tot vaticiniis promiſſo Meſſiæ? in quo operam collocabit? quo in negotio induſtriam, animos, vires poterit exerere? an ingemiſcet quod precurſor ſuus omnia occupaverit? an imo ducet ſuſpiria corde, quod alius non exſtet orbis, qui famæ, laudiſque comparandæ materiam ſuppeditet? an iners, inglorius, decuſſatis in ſinu brachiis, torpebit in palatio tantum indulgens

Et veneri & Baccho & plumis Sardanapali

Apage, A, O, Apage iſtum deſidioſum Meſſiam, os, humeros que fæminæ ſimilem, qui nullo lineamento refert verum illum Meſſiam, tot præclaris facinoribus inſignem & qui tot miraculis debuit inclareſcere. Quod mirum in modum quadrat in D. N. J. Quis enim miraculorum patratione cum Ieſu conferendus? Moſes 76 miraculis, omnes omnino prophetæ 74 miraculis inſignes ſe præbuerunt; adeo ut miraculorum V. T. numerus ultra 150

tra 150 ad Majus non aſſurgat. Sed ſolus D. Jeſus multo plura patravit, non ad hominum perniciem, non ad jactantiam & oſtentationem, non clam teſtibuſque remotis, ſed ad hominum emolumentum, maxima cum animi ſui demiſſione, palam, admotis teſtibus, & vulgi ſtante Corona. Non ſtellam aliquam infimæ magnitudinis tremula ſua Luce orbavit & ſpoliavit, ſed Solem ipſum invadit, oculum mundi, fontem Lucis, ut tale luminis deliquium omnibus innoteſceret. Non pauperum Tabernam aliquam in ſuburbio quodam, pulſat, concutit, & exagitat, ſed Turrim Regis Regum', Templum ipſum adoritur, velum καταπέτασμα à ſummo faſtigio ad imas uſque partes ſubito dilacerat, horâ tertiâ, eâ nimirum horâ quâ frequentes ſacris aderunt Hebræi, ut tanti prodigii laus & gloria quam plurimos percelleret. Vinum in aquam commutavit, non cum diſcipulis ſuis ſolus, aliquando cænaret, non in Cæna quadam privata, ſed in convivio publico, in ſolennitate nuptiarum, ut rei tam ſtupendæ & prorſus inauditæ, quamque novitas dubiam reddere potuiſſet, tot teſtium non pretio conductorum, non arte quæſitorum, non præjudiciis occupatorum ſuffragia fidem conciliarent. Quinque panes & duos piſces aliquando multiplicavit, non ut decem tantum duodecim ve homines iſtis reficerentur. Sed ut quinque imo ſeptem hominum millia unico illa cibo paſcerentur, increbreſcentibuſque ſtomachi latratibus abunde ſubvenirent. Hinc eſt quod ipſi Joſepho, Hebræorum doctiſſimo, Jeſus dicitur παραδοξοποιητὴς. Et cum miraculorum ſuorum gloria Judæorum oculos frequenter perſtringeret, homines pudoris decocti, frontiſque depoſitæ, ea Belzebubo principi Dæmoniorum adſcribere non erubeſcebant. Non quidem,

dem, Dæmoni infimi ſubſellii, non ſpiritui grandioribus operibus inepto & minus aſſueto, ſed ipſi potentiſſimo Dæmonjorum Rectori, tantaque tamque extra vulgarium miraculorum ordinem poſita Jeſu miracula ipſi animadvertebant, ut totas inferni vires, ipſumque Belzebubi brachium poſtulare, apud ſe reputarent.

Nec intempeſtiva fuerunt illa Domini miracula; Illo quippe ipſo tempore ſe terris conſpiciendum præbuit quo prophetarum vaticinia tam frequenter determinarunt. Debuit adeſſe Silo cum jam ſceptrum ablatum eſſet, cum corona Judaica penitus eſſet peſſumdata, quum ad interitum vergeret & jam prona labaſcens que rueret Reſpublica Hebræorum. Jam vero temporibus Jeſu ubi ſceptrum? ubi imperii inſignia & monumenta? ubi libertas à patribus tot ſudoribus parta, tot laboribus conſervata, tot curis ad poſteros fideliter tranſmiſſa? Annon priſtinæ gloriæ umbra tantum ſupererat, imperii que collapſi rudera miſeranda? Annon poterant jure ac merito ingeminare fuimus Hebræi, nunc ſeges eſt ubi Solyma fuit, Barbarus has ſegetes, Romaniſque laſcivientibus, facti ſumus triſtia & deploranda ludibria.

Quid memorem Auditores, celeberrimas illas Danielis Hebdomadas ad quarum exitum Meſſias quidem exſcindi ſed tandem caput attollere debebat. An non ſi calculorum recta & adæquata ineatur ratio, hoc in Jeſu contigiſſe, omnibus conſtabit clarius ſole ipſo meridiano. Certe Dominus noſter Jeſus ad tranſennam ſtare videbatur, carceres jam mordere, & expleto ultimæ Hebdomadis anno, tanquam intentus Α'φέτης currum fæliciter impulit, ſtadium licet periculoſiſſimum animoſe, fortiter, ac fæliciter decurrit, nec feruidis evitata rotis horrenda Crucis meta, aliam γραμμὴν & lineam pervaſit,

quæ in Cælis conſtituta, erat laboribus exantlatis, ſuſpiriis, lachrymis *ultima creta ſuis*. Revera ſi Hebdomadum Danielis epocha ſiſtatur ſive in Cyro, ſive in Artaxerce Longimano, ſive in Dario Notho, earum exitum attingere fælicia Jeſu tempora, nullus eſt qui vel ulla cum rationis ſpecie illud negare poſſit.

Quid memorem Hebræorum calidiſſima vota, Iſraelitarum ἀποκαραδοκίαν, Judæorum ex omnibus mundi plagis Hieroſolimam confluentium, & ſedes ibi locantium ſuſpiria, qui ſupremum numen precibus quaſi laceſſebant, continuiſque clamoribus veluti fatigabant, qui arrecto capite ad cælos unde libertas & liberator, imminentem Meſſiæ adventum toto pectore anhelabant, continueque ingeminabant, ô nunc findantur cæli & nubes pluant juſtum, veni Domine Meſſias, tandem Meſſia veni, languens, repens, epulonibus exhauſta vinea tua te cultorem exſpectat, *& ſterilis pluvio ſupplicat herba jovi*. Hinc A.O. non tantum apud Hebræos receptum illud tunc fuit, Meſſiæ Regis tunc inſtare tempora, ſed & ἀλλοφύλους Gentes que remotiſſimas rumor ille afflaverat, inſtare ea illa fæliciſſima tempora, quibus ex oriente Rex debebat aſſurgere, qui amplificatis regni ſui pomæriis, tam late imperium ſuum promoturus erat

Quantum Hypaſis Veneto diſtat ab Eridano.

Quod prophana, ſacrilega, ſervili adulatione Hiſtoricus Joſephus, auſus eſt adſcribere imperatori veſpaſiano, qui in oriente, in Syria Cæſar eſt renunciatus

Qui regere imperio populos orbemque valeret.

Siccine Joſephe ludis in re tam ſeria? ſiccine tam cæco carperis affectu, & propheticorum vaticiniorum tantus te capit neglectus? ſiccine prodis Gentis tuæ decus & redivivos honores? cum Ieſum popularem tuum, Hebræum,

bræum,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 M 45

bræum, εὐεργέτην, ſua dignitate ſpoliare, capiti que auguſtiſſimo Coronam detrahere tentas, ut Romanum, Hoſtem, Patriæ tuæ perniciem ultimam, Hebræorum Ἄγγελον ὀλοθρευτὴν eâ injuſte mactare & cumulare poſſis. ὦ βάθος τῆς σοφίας θεοῦ, ὡς ἀνεξερεύνητα τὰ κρίματα αὐτοῦ καὶ ἀνεξιχνίαστοι αἱ ὁδοὶ αὐτοῦ. Gratias Gratias æterne Pater quod ea ſapientes latere voluiſti, illa vero parvulis revelare non dedignatus es. Ita eſt æterne Pater quia tale fuit tuum decretum & εὐδοκία.

Interim, Auditores, ſi de perſona Meſſiæ non bene convenit Ioſepho, de temporibus Meſſiæ non videtur dubitaſſe. Enim vero temporibus illis vigebat πολυθρύλλητον illud effatum domus Eliæ ſive forſan Hillelis, mundum ſex millia annorum duraturum. Duo millia ante legem, duo millia ſub lege, & duo millia ſub Meſſia. Iam vero ſi temporum illorum diſpoſitio cum ætate Domini Jeſu ἀκριβῶς comparetur, omnia inter ſe quadrare & bene cohærere facile comperietur. Sed ô cæcutientes Iudæi, quî hæc aptari poſſunt hodiernis rebus Iudaicis? jam quintum millenarium fluxit irremeabile, & de Meſſia tantum audiuntur voces, prætereaque nihil. Sexti millenarii major pars evanuit, & pigerrimus veſter Meſſias rebus veſtris afflictis opem laturus tandem non advolat. Pauci ſuperſunt anni ad mundiuſque æternum interitum, & ſi hac ipſa hora adſtaret Meſſias veſter, ventoſiſsimum, vaſtiſsimum illud regnum quod illi ſoletis affingere intra trecentorum annorum cancellos arctari & coerceri deberet. Sed quid hoc cum plagis iſtis quibus per 17 ſæcula penitus obruimini? quid hoc cum Davidica monarchia, quæ quadringentos quinquaginta annos glorioſe ſuperavit? Quid hoc cum Ægyptiaca, quæ ætatem bis mille annorum jure jactare

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 M 45

ctare ſolet? quid cum Aſſyriaca, quæ per mille trecentos annos tantum decus ſibi conciliavit? quid cum Caranica quæ 500. annos, quid cum Sinenſi quæ tria annorum millia, quid cum Scotica quæ mille quingentos, quid cum Gallica quæ mille ducentos fæliciter expleverunt. Et ſi fictitia veſtra Monarchia Meſsiaca tot lenociniis fucatiſque adornata coloribus, cum illis conferatur, an non poſtrema omnium videbitur, multoque infra alias debebit ſubſidere?

O cæcas veſtras mentes, ô pectora cæca!

Sed ſi Reges & regna cum Ieſu conferantur, iniqua certe videbitur oculis non lippientibus iſta comparatio. Æternum eſt illius regnum. Orbis peribit ſed ille permanet.

Cum ſole & Luna ſemper Ieſus erit.

Sed, hîc, oggannientes mihi videor audire Iudæos, quid patibulo cum throno, quid ſpinis cum diadematis ſplendidiſsimo jubare? quid Ieſu Crucis candidato, & ad ſupplicium raptato, cum Meſsia, ſpe Iſraelis, Gentium malleo, cæli terræque ornamento æternum venerando. Sic eſt Auditores Humaniſsimi, in cruce Chriſtiani gloriantur, triumphantis crucis inſignibus omnia quondam conſignarunt.

Chriſtus purpureum gemmanti textus in auro
Signabat labarum, clypeorum inſignia Chriſtus
Scripſerat, ardebat ſummis crux addita criſtis.

Sed crux Iudæis κάθαρμα. Crux Iudæis ſcandalum, crux Iudæis offendiculum, quo nonquam majus excogitari poteſt. Et revera ſi Pharaonis arcenda fuiſſet acerbiſsima tyrannis, crux inepta fuiſſet. Si Philiſtæorum retundenda fuiſſet audacia, crux minus idonea fuiſſet. Si Chaldæorum, ſi Antiochi epiphanis frangendi fuiſſent furores & impetus, non video quid cruci cum tanto moli-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 M 45

molimine. Si denique Romanorum grave nimis & obruens jugum excutiendum fuiſſet, ah crucis, cruciariique imbelles conatus, ſtramineaque & arundinea arma, tali conſilio non profutura, libens faciliſque profiterer. Imperatores fuiſſent promovendi, milites conſcribendi, arma fabricanda, faces accendendæ, Theſauri congerendi, omnia in uſum revocanda, quibus florentiſſimorum imperiorum gloriæ conſuli ſæpe ſolet. Sed hîc ſupremum numen placandum erat. Pax cum Angelis reſtauranda, cæli aperiendi, arcenda legis fulmina, peccatum expungendũ, delenda iniquitas, conſummanda prevaricatio, adducenda juſtitia æterna, implenda viſio, obſignanda prophetia, mundus vincendus, mors conculcanda, ſepulchrum proterendum, Orci portæ effringendæ, Diabolus ligandus & catenis induendus, Tartareæ fugandæ phalanges, inferi turbandi, terra liberanda, & cælum æternis triumphis & jubilis implendum. Sed quid ad omnia illa præclara facinora exercitus numerioſiores? quid copiæ, quid claſſes triumphis aſſuetæ, & perpetuis victoriis lætiores & ſuperbientes? quid Cæſaris intrepiditas? quid Alexandri fælices ſucceſſus? quid Sezoſtris, Xercis, Darii luxus & audacia? Nonne peccati fuere mancipia, nonne Tartarorum fuere ludibria, nonne ſi grandiores, ſaltem certæ, & miſerrimę mortis victimæ ceciderunt.

Sed quo magis Judæorum cæcam invidiam, & Domino Jeſu obtrectandi inſanabile cacoœthes animadvertere poſſitis, Auditores Humaniſſimi. Nonne Meſſias manibus & pedibus debebat perforari? nonne איש כפר, nonne בר נפלי caducus, miſer, homo langorum & dolorum eſſe debebat? Nonne Deum ipſum invadere & confodere debuerunt ipſi Iudæi. Nonne ſecundum illorum nimis delira placita, vilis, languens, leproſus, Romæ vel ad portam Auſtra-

lem jacet pauper Meſſias. Nonne ſi Meſſias Filius Davidis omnia læta experitur, ſi omnia ultra ſpem & vota illi accidunt, ſi candida, aurea, ſericea vitæ ducit flamina, Meſſias Filius Joſephi cum variis calamitatibus luctari debet, & variis jactatus ærumnis, morbis effætus, vulneribus confectus, miſeram tandem vitam cum morte commutare. O præjudicatas Iudæorum ſententias, ô ſacrilega Hebræorum judicia, qui quæ Deus juncta, & inter ſe cohærentia voluit, neſcio qua ineptientis, & fatuæ ſapientis rationis ſpecie, ea diſgregare & ſeparare non erubeſcunt. Duoſque ſibi fingunt Meſſias, unum fortunæ ludibrium, alterum quem Fata foveant, omnique bonorum affluentia cumulent & proſequantur. Sed an Moſes in deſerto, & Moſes in cacumine montis mirandum ſpargens jubar, & de Luce cum ſole contendens, fuerunt duo Moſes. An Ioſephus, calumniis oneratus, in carceris ſquallore, ſitu, pædore jacens, alius erat à Ioſepho, qui curru Triumphali vectus, totam Ægyptum adgeniculatam & procumbentem videbat. An David vilis ovicularius, & pedo paſtorali greges regere ſolitus, alius erat à Davide qui prælia ducebat, fœderatos fovebat, hoſtes terrebat, libertatem patriam fæliciter aſſerebat, & toga, marteque conſpicuus, imperii Iudaici fundamenta jaciebat. An Daniel ad leones, & cavea concluſus, alius erat à Daniele, Suſis, & Ecbatanæ jura populis reddente, & Dariorum, Cyrorum, pictorumque illorum Regum vices tam glorioſe implente & repreſentante. Unicus certe Moſes fuit, unicus Ioſephus, David, Daniel; ſic unicus Meſſias Jeſus honore & gloria auctus & coronatus, quem tamen mortis non puduit maledictæ quidem, ſed tot miraculis conſpicuæ, ut omnem crucis ignominiam expunxiſſe, & abſterſiſſe videretur.

Nam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 M 45

Nam quæ mors, morti D. Ieſu jure venit comparanda. Certe David moritur ſed an Sol innato ſuo lumine ſubito ſpoliatur? moritur Salomon, an concutiuntur cælorum poli? moritur Joſias, an Terræ fundamenta contremiſcunt? Moritur Zacharias in ipſo Templo, an καταπετάσματος & veli compages luxatur & diſſuitur. Moritur Joannes Baptiſta, an ſaxa volant, an rupium fragmenta excutiuntur, an ſepulchrorum voraciſſimæ fauces ſolvuntur & diducuntur,

An mundi moles operoſa laborat.

Minime, A. O. Hæc omnia morti Chriſti jure reſervabantur, quæ opprobrium crucis diluerent, quæ ſupplicii dedecus temperarent, quæ Meſſiæ mortes, ideſt eccellentiſſimam mortem, Divinitatiſque Domini noſtri argumenta omnium oculis ingererent.

Nam contrario quodam ratiocinationis pondere debuit argumentari ac Alexander magnus. Hic enim morti vicinus, à veniſque ruentem ſuum ſanguinem, madidis oculis contemplatus, ſero tandem cœpit ſapere, quærelas jactare, convitiis amariſſimis adulatores impetere, qui Deum, ſtirpiſque divinæ indubiam propaginem illum frequenter ſalutarunt. Cum præſens vultus oriſque pallor, cruor undique manans, purpurea illa anima, effætæ in corpore vires, frigus invadens artus, morientes oculi, vox tremula & faucibus hærens, illum revera hominem teſtarentur, & à quo nihil humani alienum eſſet, triſti & pudenda experientia luculenter comprobarent.

Sed Jeſus cruci affixus, & ſiccis oculis intuens ſanguinem ſuum manantem, qui Tartareos ardores extinguebat, qui candentia legis fulmina molliebat, qui ſupremi numinis iras compeſcebat, qui fidelium arentia corda ir-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 M 45

rorabat, & ſitim reſtinguebat, Eccleſiam antediluvianam, Moſaicam, Evangelicam, tanquam prætio redimebat, ingeminare vere potuit, Ah ſentio me verum numem, experior me Meſſiam primogenitum patris, jam indubia ſuppetunt divinitatis meæ argumenta, quæ ab iniquioribus rerum æſtimatoribus, ipſiſque cordibus incredulitate maceratis, fidem, amorem, cultum, & formidinem extorqueant.

Sed quod Hebræos ipſos magis urgere debet, illud illud eſt A. quod prætermittere non poſſum & oblivionis vel ſilentii ſipario velare & obducere. Horrenda nimirum illa calamitas quacum ubique gentium Judæi conflictantur. Errant palabundi per omnes mundi plagas

Exiliis vagus huc illuc fluitantibus errat
Iudæus, poſtquam Patria de ſede revulſus
Supplicium pro cæde luit. Chriſtique negati
Sanguine reſperſus, commiſſa piacula ſolvit.
En quo priſcorum virtus deflexit Avorum!

Extorres nimirum inſtar Abiorum, ſine Rege, ſine ſacris, ſine Patriis laribus, ubique divagantur, & niſi Rerum publicarum, Regum que peculiari humanitate aliquomodo foverentur, ubi tandem pedem figerent per totum terrarum orbem non poſſent invenire. Unde vero, Auditores, unde tantus calamitatum cumulus, unde tot animis cæleſtibus iræ, unde cælum illud adamantinum, & terra ubique ferrea? ubi priſtina illa Dei benevolentia, cujus potentiſſimum brachium, gentis afflictæ dolores tam frequenter levavit, præſentiſſimaque imo præcipitata porrexit ſolatia. In Ægypto, ſub Pharaonicâ ſervitute, miſere cruciantur; ſed elapſis 10 ſupra ducentos, annis, ſtatim ad libertatem via lata ſternitur. Philiſtæorum impetus aliquando perſentiſcunt, ſed poſt

18, 20, vel quadraginta annos, lucidiora & amæniora experiuntur tempora. Ferreo Babylonicæ captivitatis jugo obruti videbantur. Sed poſt demum annos ſeptuaginta, deferbuit ira ſupremi Numinis, iterumque explicatis priſtinæ ſuæ miſericordiæ alis, illos quaſi ſomniantes fovit & refocillavit. Antiochi ſacrilegos impetus aliquando pati coguntut, ſed tribus annis expletur furentis regis rabies, nec ulteriora damna permittit, ſagax, perpetua, & nunquam ſomnians cuſtodia Iſraelis. Sed per ſeptemdecim ſæcula fiunt præda divini furoris; non laſſatur ſupremum numen, cœſis, laniatis, diſcerptis victimis innumerabilibus: Obruit ubique Judæos tremenda manus Dei,

Sequitur fugientes ultor à tergo Deus,
Omnibus ille locis ad ſtat, dant ubique pœnas.

Nec innata Dei miſericordia, nec gentis olim tam deſideratæ clamores, non intermiſſi, nec tot ſæculorum tam longus ordo & ſeries, tantiſper ſæviſſima illa judicia temperare potuerunt.

Cum Babylonica ſervitute premeretur integra Tribus Juda, non diu debuit tali jugo onerari. Impregnata quippe Semine venturo, in lumbis ſuis geſtans, futurum Meſſiam, fæta & ſuperbiens, tanto ſalvocunductu, nonquam temerando & violando,

Duravit rebus tandem ſervanda ſecundis.

Sed expleto partus tempore, Jeſu in Lucem emiſſo, crudeliſſimâ illâ matre, filium vorante & dilaniante, nulla crudeliſſimæ gentis cura Deum ſupremum amplius ſollicitat, illam vorandam tradit furoris ſui inſatiabili gladio, adulteræ illius membra ſparſim disjicit & exagitat, quæ infidelitatem prodant, horrendoque exemplo notum faciant. φρικτὸν, φοβερότατον, tremendum eſſe,

cadere in manus Dei vivi. In deſerto partæſi Moſem in cacumine montis Sina per 40 dies morantem, vitulum aureum conflarunt, quem divinis honoribus turpiter ſunt proſecuti. Ad tantum facinus excanduit ſupremi numinis ira, ſed cujus æſtus, quorundam ſolum ſceleris conſciorum cæde, illico deſævierunt. Hodie per 17 ſæcula morantem Meſſiam ſuum pertæſi miſeri Judæi, aureos vitulos non conflarunt, idola in ſubſidium non vocarunt, imagines ad ſuperſtitionem uſque ſemper ſunt execrati, & tamen iræ divinæ decumanis fluctibus merguntur & obruuntur. Calamitatum abyſſis ubique premuntur, ſurdioribus etiam auribus hæc diſtincte intonantibus

Diſcite Iuſtitiam moniti & non temnere Ieſum.

Hoc audiverunt Gentes ipſæ Auditores Humaniſſimi. Nec revera omnium contemptum incurrit Jeſus noſter. Imo quod indicium eſt illum eſſe, Meſſiam, deſiderium fuit Gentium, & ad illum congregatio & obedientia nationum.

Venient annis
Sæcula ſeris
Quibus Oceanus
Vincula rerum
Laxet, & ingens
Pateat Tellus,
Nec erit Terris
Ultima Thule.

Hoc de acceſſione Americana ad tres alias orbis partes, quondam vaticinatus fuiſſe videtur, facundæ Cordubæ facundiſſimus vates. Sed Eccleſia Evangelica, totius orbis acceſſione mirabiliter crevit, omnium nationum appendice, glorioſe ſuperbivit,

Illuſ-

Illiuſque beatis
Non fuit terris
Ultima Salem.

Ad Jeſum confluxerunt omnes orbis populi, & relictis ſacris ſuis, conculcatis idolis, excuſſo paganiſmi jugo, alacres advolarunt, crucique pendentem divinis honoribus coluerunt. Sorduit tunc nomen Iovis, ſorduit Serapis, Mitras, Zamolxis, venerata quondam nomina, ſorduere

Teutates, horrens que feris altaribus Hæſus.
Et Taramis Scythica non mitior Ara Diana.

Manifeſtata hac tremenda & veneranda fœderis Arca, prona, reſupina ruerunt Gentium numina,

Et ſolus Vacua regnavit Ieſus arena.

Non gentes deterruit horrendus crucis apparatus, non numen patibulo affixum, non Deus inter Judæos natus, inter Judæos inquam, mundi καθάρματα, Gentium περιψήματα, ſulphurarios, vitrarios, ciſtiferos,

Quibus cophinus fænumque ſupellex.

Enimvero, Auditores, ſi originem duxiſſet inter Parthos orientis potentiſſimos populos, ſi inter Ægyptios, ſapientia florentiſſimos, ſi inter Græcos arte, marteque ubique celebratiſſimos, ſi inter

Romanos rerum Dominos Gentemque Togatam.

Gentis dignitate fretus, popularium ſuorum fama involutus, viam ad gloriam ſibi munire, nomenque non contemnendum conciliare facile ſibi potuiſſet. Sed inter Judæos, captivos, inopes, inglorios, hominum extremos, ἐσχάτους, ἐπιθανατίους Gentium omnium perpetua ludibria, originem traxiſſe, & nominis ſui deſiderium & cultum undique diſſeminaſſe, ringentibus licet &

cet & obnitentibus inferni legionibus, hoc eſt, A.O. quod omnibus ſtuporem debuit incutere.

Et Revera Auditores, exoriente Jeſu, omnes Erebi nubes actæ, compactæ, denſatæ, cumulatæ fuerunt, quæ naſcens cæli jubar interciperent, opaciſque ſuis velaminibus ſubito extinguerent. Ad ortum Aſtri inextincti, Cerberus infernalis latratibus implet omnia. Ipſa Jeſu incunabula invadit ſerpens antiquus, & aliorum ſecurus, à ſolo Domino Jeſu ſibi timere videtur. Venit aliquando Bacchus; ſed Tartara non turbantur; venit aliquando Hercules; ſed furoris œſtro perciti Dæmones non omnia clamoribus implent. Venit Oſyris, Mitras, Baal, ſed non exaſperantur Diaboli furores, non Acheronta movet, non ſtrages, lanienas, perſecutiones ſuſcitat, vel levicula imminentis ſuæ ruinæ ſuſpicione, angitur & percellitur. Sed venit D. Jeſus, & frendent Dæmones, turbantur inferi, rugit Leo Tartareus,

Ingemuere cavæ ſonitumque dedere cavernæ.

Indicio manifeſto, Ieſum eſſe Meſſiam, Ieſum eſſe ſemen mulieris caput ſerpentis contriturum, & cum illo & Diabolo peſſime convenire.

Herodes Hoſtis impie,
Chriſtum venire quid times?
Non auferet mortalia,
Qui regna dat cæleſtia.

Sed Belzebub, Hoſtis impie, Tu Ieſum venire times, nam debebat opera tua deſtruere, inſolentis throni tui faſtigium deturbare, Tyrannidi tuæ fortiter obſiſtere, imperii tui limites coarctare, fronte tua detrahere uſurpatos honores, teque tuoſque æternę ſervitutis, ignominiæque notis conpunctos traducere, & παραδειγματίζειν.

Unde

Unde vis veritatis, ex ore impuriſſimi illius Dæmonis, erupit ſæpiſsime. Tu es Chriſtus inquit filius Dei vivi, Tu es Ieſus filius ille David. Qui laborum ſuorum omnes implevit regiones, & nationes integras miſerrimas oviculas, è truculentiſsimi leonis rictibus, & faucibus ereptas, ſalvas & incolumes in ovile ſuum migrare cœgit. Quod certe miraculum, omnia alia, enormitate & inſolentia ſuperare videtur, unicumque ſufficeret, ad Domini noſtri veritatem æternum aſſerendam. Nam homines nihil magis ferit quam ſuæ Religionis ſenſus; & qui numini cuidam colendo, ſe ſemel devoverunt, ab illius cultu ſe dimoveri difficulter patiuntur. Animadvertite quæſo Labanum Iacobi Patriarchæ idolatram ſocerum. Amiſsis ſimulachris, rugit, furit, inſanit, & ἐμπνέων φόνȣ ϗ ἀπειλῆς, generum inſequitur, quovis crudelitatis genere, ſua rapta numina ſibi vendicaturus. Attendite quæſo Auditores ad inania Epheſiorum conſilia, cum de Dianæ ſuæ gloria, per Apoſtoli Pauli ſermones aliquid delibatum exiſtimarent; per duas horas integras, ad ravim uſque exclamant, Magna Magna eſt Diana Epheſiorum, nec loci reſpectus, nec Magiſtatuum authoritas, nec rei verecundia, nec rationis ipſius pondera, inſanos illos clamores retundere potuerunt.

Tantum Relligio potuit ſuadere furorum.

Tantum homines tenet capeſſatæ & avitæ Religionis amor & deſiderium.

Sed Ieſu Doctrinâ ſemel propalatâ, quam de Religione aliter philoſophari cæptum eſt. Non pertinacia, non falſus ille zelus homines occupavit. Falſis numinibus ſuis nuncium remiſerunt. Ipſi ſponte idola ſua veſpertilionibus reliquerunt. Ultro ſacra ſua deſerverunt. Et quaſi

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 M 45

priſtini cultus, nullus illos ſenſus teneret, DIs omnibus poſt terga relictis, Ieſum ſolum anhelant, unoque exclamant ore, magna eſt illa virtus altiſsimi, magnus, magnus, magnus Dominus noſter Ieſus, tota terra plena eſt illius gloria, & cælum illius laudibus æternum perſonabit.

Quæ vero Religio tanti miraculi celebritate unquam inclaruiſſe narratur. Certe in Ægypto per ducentos annos Goſen incoluere Hebræi, Religionis avitæ non inſeduli ſectatores. Sed quæ Nomos, quæ Dynaſtia, quæ Regio, cultus Iudaici puritate, & ſimplicitate ſollicitata, DIs ſuis nuncium remiſit, ut Iudaiſmum amplecteretur? in Babylonia per 70 annos vixere quidem captivi Iudæi, ſed tamen miraculis clari, Martyribus & Confeſſoribus inſignes. Sed quæ Regio apud Babylonios, priſtinam Religionem pertæſa, illam cum Iudaica commutare tentavit. Decem Tribus per Calachenam, per Chaboram, per Goſanitidem, ſparſæ, longe lateque diffuſæ, numeroſa ſua multitudine, cultuſque ſui novitate ſe commendare potuerunt. Sed quos vicinos invaſit abjiciendæ ſuæ Religionis deliberatio, & ad Samaritanos deflectendi inauditum conſilium. Per totum imperium Romanum, Iudæorum examina ubique occurrebant, qui promovendæ Religioni ſuæ, proſelytiſque terra marique conquirendis, non ignavam operam impendere ſolebant. Sed an Romani talibus artibus patuerunt? An eorum leves animos ceremoniæ Judaicæ, tantiſper titillarunt? uſurparunt Gallorum truculentos ritus; Carthaginenſium licet æmulorum admiſerunt vraniam; à Græcorum metamorphoſibus non penitus abhorruerunt. Ægyptiorum numina ſuis ſociare non erubuerunt,

Nos

Nos in Templa tuam Romana admiſimus Iſim
Semideoſque canes, & ſiſtra jubentia luctus.

Sed apud illos Judæi ſunt Athei, impii, Barbari, cum quibus ullum Religionis commercium foveri non poſſe exiſtimaverunt. In Ægypto Pharao Joſephum fovet, Filia Pharaonis Moſem adoptione quaſi regia cohoneſtavit, quæ omnia videbantur latiſſimam viam ſternere àd Iudaiſmum in aulam introducendum, & per totam Ægyptum fæliciter diſſeminandum. Sed diſſeminati apud Ægyptios Iudaiſmi nulla unquam extiterunt vel leviſſima veſtigia. In Babylonia, Suſis, Perſepoli, Daniel cum ſociis pietate miraculis & dignitatibus inclaruerunt, & tandem Eſter Regina, Regii tori particeps, Aſſueri amores & deliciæ, Iudaiſmi diſſeminandi non leves ſpes ingenerabat. Sed Iudæos ad Perſarum Babyloniorumque mores ſe compoſuiſſe, potius quam Perſas Iudaicos induiſſe ritus, omnibus notius eſt, quam ut longo verborum ambitu debeat enarrari. Apud Romanos imperatores, Herodes magnus, Herodes Agrippa Major, Herodes Agrippa Minor, gratia non exigua per longam annorum ſeriem aliquando floruerunt. Sed Imperatores de Iudaiſmo peſſime ſemper judicarunt, ad Iudaiſmum aulici in cachinnum ſoluti ſunt, ad Iudaiſmum in Prætorio omnes frontem corrugarunt, & de Iudaiſmo admittendo, Iudæorumque Deo colendo, in Senatu nulla unquam facta fuit deliberatio. Judæi, Templi ſtructura, altarium ſanctitate, Flaminum, & Archiflaminum ordine, veſtium ſacerdotalium elegantia, ceremoniarum varietate, victimarum frequentia, Lucernarum accenſione, aquæ luſtralis aſperſione, ignis cæleſtis conſervatione, affinitatem ſatis arctam cum Gentibus colere videbantur.

Sed affinitas, licet arctiſſima, nil aliud quam contemptum, odium, convitia, ſemper eſt conſequuta.

Reddimus obſcænæ convitia debita Genti,
Quæ genitale caput propudioſa metit,
Radix ſtultitiæ, cui frigida ſabbatha cordi,
Et cor frigidius, Relligione ſua eſt.
Septima quæque dies, turpi eſt damnata veterno,
Tanquam laſſati, mollis imago, Dei.
Cætera mendacis deliramenta Cataſtæ,
Non pueros ipſos credere poſſe reor.

Adeo non ſolum Rutilius Numatianus, ſed omnes falſorum Numinun cultores, à Relligione Judaica ſemper abhorruerunt.

Sed, A. O. ad nomem D. Jeſu, omne genu flectitur, ad Legis gratiæ ſuaves quidem, ſed potentiſſimos fragores, contremiſcunt cælorum poli, & terræ columina; ad Evangelii Buccinas, ethnicæ Jericuntis muri protinus evertuntur, & licet Gentiliſmum, nulla, vel levicula affinitate contingeret, invadit Prætorium, invadit Senatum, invadit exercitum, invadit

Extremos hominum Morinos, & ſcotobrigantes.
Pergit, extra anni ſolis que vias,

de illo promovendo, ad Senatum referunt Imperatores ipſi, & Chriſtianiſmum tandem amplexi, colla demittunt, ſceptra, diademata, coronas, auguſtiſſima Anathemata conſecrant, & Chriſti pedibus advoluti, regnantem à ligno Deum venerati, illius Oecumenicum juxta ac æternum imperium, colunt ac proſequuntur.

Æternum inquam, Auditores, quod ſinceritatis, & veritatis D. N. J. Æternum eſt indicium, & quod Judæorum, poſt tot expertas pſeudochriſtorum inanes pollicitationes, ad Domini noſtri cultum ſempiternum deberet

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 M 45

deberet permovere. Nam extitit quidam Iudas qui ſpes Judæorum collapſas; & morientes, aliquo modo recrearet. Sed in caſſum tandem abiere illius vani conatus. Exſtitit quidam Teudas, qui Judæis afflictis, halcyonia tandem paraturus videbatur. Sed infælix illius exitus, impoſtorem prodidit. Exſtitit Herodes Magnus, qui liberalitate, munificentia, præclaris facinoribus, Judæorum Herodianorum animos, ad maxima quæque erigebat. Adeo ut cum

Herodis venere dies, unctâque feneſtrâ,
Diſpoſitæ pinguem nebulam vomuere lucernæ,
Portantes violas, rubrumque amplexa catinum,
Cauda natat thynni, tumet alba fidelia vino,
Labra movent taciti, recutitaque Sabbatha pallent.

Ita firmas & profundas in Judæorum cordibus radices egerant, iſtius principis exiſtimatio, cultus, & deſiderium. Sed Tyrannis, barbaries, anima ſputo & ſanguine macerata, Herodem nil minus eſſe quam Meſſiam, abunde tandem comprobarunt. Exſtitit Veſpaſianus, qui Cæſaris dignitate, patratis miraculis, erecto Pacis Templo, quorumdam Judæorum oculos in ſe converteret. Sed elapſis duobus annis, ſpes arundineo ſuffulta tibicine in deſperationem abiit.

Exſtitit Moſes ille Cretenſis qui per ſiccata maria viam in Cananeam ſecure pollicebatur, ſed illo undis abſorpto, ſpes ſtultæ, & inepta conſilia ſubmerſa jacuerunt. Aſtructaque fuit illius dicti veritas

Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται κακὰ θηρία, γαστέρες ἀργαί.

Exſtiterunt Elnebi, David Eldavid, Lemlemus, alii ſed qui tantum leves, deſultorios, novis ſemper inhiantes, Iudæorum animos, miſerrime prodiderunt. Exſtitit Denique nuperus ille planus, ad quem ante paucos

 annos,

annos, convaſatis omnibus ſarcinis, peregrinationes ſuſcipiebant Iudæi, cujus auſpiciis totius orbis deditionem, jam animo conceperant, ſed qui turpiter defuit ſpei, votiſque Iudæorum, & nunc inter Mahumetis ſatellites ſtipendia merens, levitatis, & ſimplicitatis Iudaicæ, eſt pudendum monumentum.

Sed quod citra prævaricationem prætereundum non videtur A. O. Exſtitit famigeratiſſimus Barcocab, cimbalum illud mundi, qui 400000 hominum millibus ſtipatus, Hyperaſpiſtis R. Akibæ conſilio fretus, Hebræorum Doctorum fauſtis ominibus erectus, unus ille videbatur, qui poſt multas cunctationes Rem Iudaicam reſtitueret. Sed tandem poſt varios caſus, infælicia certamina, miſerandum exitum, cæſas & deletas Iudæorum quadraginta myriadas, hoc tantum obtinuit, ut indecoro Barcosbæ titulo apud poſteros traduceretur.

Unde vero Auditores, unde tale diſcrimen. Unde Jeſu læti ſucceſſus, & Barcocabæ ſuorumque ſtrages & deletio? Ieſus erat ſolus, Barcocab incedebat magnâ comitante catervâ, cui ſiſtendæ & compeſcendæ, ipſe imperator Adrianus operam ſuam, totaſque imperii vires bene collocatas exiſtimavit. Ieſus erat ſine arce, & ſæpiſſime non habebat ubi caput reclinaret. Barcocab Biteri propugnaculum erexit, terra marique potentiſſimum, ſuis commodum, vicinis moleſtum, Capitolio æmulum, totique imperio Romano ſuſpiciendum & verendum. Ieſus Romanos ſuperat; venit, videt, vincit, Regnat, & imperat; Barcocab ſuperatur & funditus deletur. Barcocab cum armis, exercitu, propugnaculis, militans pro Patria, pro aris, pro focis, pro Templo, pro Religione Moſaica, pro Deo ipſo, ne unicum convertit ethnicum, ſuæque Religioni gratiam

 debe-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 M 45

vel leviculam apud Gentes conciliare non potuit. Jeſus ſine armis, ſine exercitu, ſine propugnaculis, Religionem ſcilicet falſam introducens, Moſi contrariam, cælo exoſam, in illius admirationem & amorem Judæos & Ethnicos ſtatim rapuit, quæ tandem perſecutionum acerbiſſimarum victrix, omnes mundi plagas pervaſit, altiſſimas radices egit, thronos ipſos occupavit, & caput inter nubila condidit. Unde iterum Auditores nnde tale diſcrimen. Unde Jeſu læti ſucceſſus, & Barcocabæ ſuorumque ſtrages & deletio. An dicendum

Victrix Cauſa Diis placuit, ſed victa Cocabæ;

O vanæ mentis delirium. O ſomniantis conſcientiæ miſerandum ſolatium; O veſana jactatio, quæ apud æquos rerum arbitros & æſtimatores, cauſæ Domini noſtri Ieſu, nihil quicquam dilibabit.

Nam revera D.N. Jeſus, ſpes nullas fovit inanes. Per ſeptingentos ſupra mille annos rerum fæliciter potitur. Eccleſiam fovet, corda ſuorum flectit, hoſtium conatus elidit, ſuorum deſideria ſpeſque adimplet & ſuperat, promiſſiſque ſuis, ne quidem unicum jota patitur exidere. Ille eſt via, veritas, & vita, cælum & terra peribunt, ſed Jeſus & verbum Jeſu permanet in æternum.

Quo revera Ieſum eſſe Meſſiam firmiter comprobatur. Nam ſi inſtar, aliorum, planus, & impoſtor fuiſſet, Jeſus Crucifixus, exoſus, calomniis oneratus, ſe omnibus deſpiciendum & contemnendum præbuiſſet, nec Herodis vel Barcosbæ fata, gloria diuturniore ſuperare potuiſſet. Sed ipſius Gamalielis Hebræi argumento optime procedente, opus illud D. J. quod nec Judæi evertere, nec mundus ſubruere, nec Diabolus peſſumdare unquam potuerunt, inter miraculoſa, divina, cæleſtia, jure debet

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 M 45

bet accenſeri, & Ieſus verus Meſſias ab omnibus adorari.

Quod pluſquam Cimmeriis tenebris merſi Mahumetani etiam animadverterunt; veritatis Radii Muſulmannicam noctem aliquomodo penetrarunt, illamque, licet extremis digitis, & lippientibus oculis, palparunt & uſurparunt. Nam Ieſum prophetam agnoſcunt. Ieſum Meſſiam venerantur, Ieſum Verbi Dei, ſapientiæ cæleſtis, ſpiritus divini, titulis cumulare non dedignantur. Illumque tali cultu proſequuntur, qui ſi cum multorum Chriſtianorum cultu conferatur, næ multi Chriſtiani habebunt, quo pudoris rubore, notentur & ſuffundantur. Soli Iudæi cum craſſiſſimis Idololatris, dextras junxerunt & ſociarunt, ut D. N. Ieſu decus petulantes impeterent, convitiiſque virulentiſſimis, onerarent & lacererent. Ah ſurget in judicium gens ipſa Muſulmannica, quæ frontem æneam, ferreum collum, Lapideum cor, mentem plumbeam, oculos carneos, os blaſphemum & petulantiſſimum Iudæis exprobrabit. Ah væ tibi Ieruſalem, væ tibi Synagoga, nam ſi talia miracula apud Mahumetanos facta fuiſſent, quæ mirâ benignitate indulſit tibi Ieſus, pœnitentiam egiſſent, veritati ſe totos mancipaſſent, apud illos non cum Duce Chriſto

Diviſum imperium, Mahometes Reſul haberet,

Sed in unicum noſtrum ſuaviſſimum Meſſiam, ſpes omnes ſuas congeſtas, fidenter collocaſſent.

Enim vero. A. ſi Mahumetem ipſum tanquam verum Meſſiam Judæis amplectendum & adorandum obtruderemus, non mirandum certe foret ſi illi hortatibus noſtris immorigeros ſe præberent. Haberent quo ſe tuerentur. Arabem Iſmaëlitam, tali muneri ineptum facile regerere poſſent, ſpretique ab Iſmaële Iſaaci, injuria, poſſet jure ac merito alta mente repoſta manere. Si

Ægy-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 M 45

Ægyptius aliquis colendus obtruderetur, minus pronos & faciles ſe præbere poſſent, priſtinique jugi, præteritarumque in Ægypto moleſtiarum recordatio, infandos poſſet renovare dolores, & animum à tali cultu præfracte avertere. Si Chaldeus aliquis & Babylonius Meſſias jactaretur. Ortus tam odioſus, Nebucadnetſaris, Nebuzardanis, Babylonicæ captivitatis memoria nonquam intermoritura, eorum animos ad exaſperationem & efferationem, potius quam ad obſervantiam & venerationem jure flectere poſſent. Si Græcus, ſi Romanus aliquis, pro Meſſia venditaretur, non mirum certe foret, ſi Antiochi, Titi, Adriani, Græcorum, Romanorum, Edomæorum, deteſtanda & execranda apud Judæos nomina, odium potius & contemtum parerent, quam cultum & Relligionem. Si denique proſelytæ cujuſdam decus, ad dignitatem Meſſiæ evehere tentaremus, poſſent contra ſtimulos λακτίζειν, & proſelytæ & ἀλλοφύλου imperium, ſi non tyrannidem ſaltem dominationem iniquam, & minus honorificam redolere videretur.

Sed A. O. Jeſum annunciamus, Hebræum, Hebræum ex Hebræis, filium Abrahami, germen Davidis, fratrem Judæorum, virgine ſatum, Betlehemi natum, Iudææ & Hieroſolymarum ipſarum perpetuum incolam, templi Hoſpitem frequentem & aſſiduum, variis miraculis apud ipſos Iudæos clarum, legis cultorem & τέλος, ceremoniarum aſſertorem, & implementum, libertatis Iudaicæ vindicem acerrimum, qui tempore præfinito laborantibus Iudæis advolavit, & qui Iudæorum Propheticam, Sacerdotalem, Regiam dignitatem ad tale decus evexit, quod prioribus ſæculis, nunquam fuerat conſecuta. Quæ cum ſint veri characteres, & genuina Meſſiæ κριτήρια, ea in impoſtorem cadere nunquam permiſiſſet, hominum ſa-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 M 45

luti tanta cum cautela conſulens, & fallere neſcia, divina ſapientia.

Nam ſicut eadem fæcunda, juxta ac provida ſapientia, in natura ita variavit hominum ora & vultus, & πολυποικιλῇ induſtriâ ſuâ, eos diſtinxit & efformavit, adeo ut unus alium plane non referat. Ne nimia conformitate deceptiones & fraudes irreperent, & graſſarentur per totum genus humanum, ſicque caveretur Regibus, patribus, maritis, liberis, paſtoribus, integraque & perfectâ ſimilitudine hominibus non illuderetur.

Sic Deus hominum cupidiſſimus, nonquam voluiſſet impoſtorem, Pſeudomeſſiam, characteribus & notis veri Meſſiæ ornare & induere, qui ſuum filium, Reges, Prophetas, Sacerdotes referret, qui nativitatem, mores, vitam, mortem, miracula, Leges, veri Meſſiæ complecteretur, cum nihil hominibus magis infauſtum potuiſſet contingere, omniumque illuſionum illa fuiſſet longe periculoſiſſima.

Abſit A. O. ut talem incogitantiam ſupremo numini unquam adſcribamus; Hanc temeritatem ſibi ſervent ſtolidiſſimi & prophani Iudæi, quorum ſi ſtat ſententia, actum eſt de divina miſericordia, actum de divina ſapientia, actum de prophetiis, actum de authoritate ſacræ ſcripturæ, actum de Deo ipſo, qui omnium prophetiarum luculentiſſimæ, frequentiſsimæ, utiliſsimæ, implementum, nulla inductus ratione, aut revocaverit, aut ſaltem retardaverit.

Scilicet A. obſtant inquiunt peccata Iudæorum, ne Deo ſtet ſua veritas, ne promiſſa eventum ſortiantur, ne laborantibus Iudęis, Meſsias ἀπὸ μηχάνης, opem Laturus advolet; Sed an non jejuniis ſuis illa purgari exiſtimant, an non lotionibus quotidianis illa putant arceri,

an non propriis meritis illa compenſari confidunt, an non de peccatis tam abjecte ſentiunt, ut, credant citra Meſſiæ ſatisfactionem, illa poſſe facile condonari, an non ſanguine Galli Gallinacei, ſanguine Chriſtianorum, morte ſua propria, illa deleri & expiari, heu nimium faciles, crudeles, & ſuperbi, jactare ſæpe ſolent. Unde ergo tantæ ſpei tam importuna dilatio, quâ Judæorum corda languent, & pæne exaruerunt, unde tot moras nectit ſurdiſſimus Meſſias, cur non flectitur tot lachrymis, tot ſuſpiriis, tam miſerando Judæorum ſtatu, in quo ſingulis diebus quaſi ſolent ingeminare

Phoſphore redde diem, quid gaudia noſtra moraris?
Nox eſt longa nimis, phoſphore redde diem.

Ah, reddidit, Auditores, reddidit Diem verus Meſſias, ſed tenebriones Judæi magis amaverunt tenebras quam lucem. Reddidit diem unctus ille,

Suaviſſimus ille Ieſus, qui uncti Domini dotibus omnibus egregie donatus & inſignitus fuit; oleo quippe lætitiæ non aceto perfuſus fuit, non rixis fovendis natus fuit, non animo acerbo & contentioſo, non aſperis, hirſutis, & herinaceis moribus. Sed fuit agnus ille Dei, benignus πρᾶος ille, comitate & humanitate conſpicuus. Cujus in ſacro Baptiſmate, non aquila, non vultur, non ferali carmine bubo, non ferox quædam volucris capiti incubavit, ſed Columba ſimpliciſſima, ſuaves, candidos, facillimos mores, evidentiſſime deſignans. Cujus ortum non illuſtravit feralis quidem Cometes, rerum triſtium & funeſtarum, ſæpe nimium verus prænuncius. Nam

Augurium laturus in orbem.
Præceps ſanguineo delabitur igne cometes
Prodigiale rubens, non illum Navita tuto

Non impune vident populi, ſed crine minaci
Nunciat aut ratibus ventos, aut urbibus hoſtes.
Vomit atra rubentes
Fax cælo radios, & ſæva Luce coruſcum
Scintillat ſidus, terriſque extrema minatur.

Sed A. B. tale prodigium, natalibus ſuaviſsimi noſtri Meſſiæ domini noſtri Jeſu notandis non inſerviit. Sed luciſsima ſtella, quæ res pacatas & tranquillas, imperium cæleſte, motus velociſsimos, lumen inexſtinctum, omnia læta, fælicia, & proſpera, tandem portenderet.

Et revera, Auditores, quæcumque ex Meſsiæ ſui liberalitate ſibi pollicentur Judæi, ea eccellentiori, eminentiori, & auguſtiori modo, in Dom. N. J. metere, colligere, & cumulare facile potuiſſent.

Arcam quippe, propitiatorium, ignem cæleſtem Sechina, Urim, lumen, coronas, frumentum ſe recuperaturos, infelices Judæi, temporibus Meſsiæ μετὰ πολλῆς φαντασίας jactare ſæpe ſolent. Sed D. I. Miniſterio, Arcam recuperavimus, Arcam Deo plenam, verum Dei Thronum, Hoſtium terriculamentum, Ecclesię περίσημον & Tutelam, ipſum D. Ieſum, in quo τῆς σοφίας & Sapientię Theſauri ęternum ἀποκεῖνται.

Propitiatorium jam fæliciter ſumus adepti, ſanguinem D. J. verum illud propitiatorium, quo ſolo peccata noſtra teguntur & abolentur. Ille quippe eſt agnus ille Dei qui tollit peccata mundi. Nullum eſt ſub cælo nomen, quo ſervari poſſimus, præter nomen Domini Jeſu

Sanguine placavit ventos, & virgine cæſo.

Spiritum ſanctum Sechina in terras revocavit. Nam ros ille qui guttatim fideles V. T. vellus illud Gedeonis ſolebat irrorare, ſub fœdere novo inſtar imbris, pluviæ, Tempeſtatiſque prætioſæ, ubique effunditur.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 M 45

Per diverſa ruens ſeptem diſcurrit in ora,

Nilus ille cæleſtis: ſalutarique ἀναβάσει, incremento, imo diluvio, novæ terræ vires fæcundat & ſollicitat. Eccleſiamque

Spiritus intus alit, totamque infuſa per artus
Mens agitat molem, & magno ſe corpore miſcet.

Urim & Tummim illico accendit, verbum illud Evangelicum, quo errorum nubes disjicit, quo peccati tenebras pluſquam cimmerias diſpellit, quo inferorum fumos difflat & ſufflaminat, quo ceremoniarum & Typorum umbras opaciores illuſtrat, & quo non inſtar ſtellę Magorum, vel columnę Iſraelitarum, ſed inſtar luminaris magni, lumine ſuo pervadit totum terrarum orbem, nec alternantis noctis vices patitur recurrere.

Coronis etiam pretioſiſſimis fidelium capita cingit, non Moſaicis, quidem & legalibus, non civicis, non aureis, ſed amarantinis, incorruptibilibus, æternis, & coruſcans ſolis jubar lumine ſuo vincentibus.

Ad epulas tandem illos vocat, ad panem ſigillatum & cælo delapſum, panem τῶ ἀβιρίμ, & panem Angelorum; ad fructus arboris vitæ, ad Manna illud abſconditum, ad guſtandum quam ſit dulcis Dominus ipſe, & quam jucundæ ſint & ſuaves ejus miſericordiæ.

Verum eſt quidem Auditores, non hîc videmus Meſſiæ Judaici lauta, opipara, pollucentia convivia. Non Behemoti pingues & ſalſas carnes, non Leviatanis membra pipere condita, non comeſſationes, ἐπικώμους, bellaria. Non adſunt

Menſis apta ſecundis
Et paſſæ & Rodia & tumidis Boumaſta racemis.

Sed quid hæc ad convivium illud ſpirituale, ad cœleſtes illas epulas, ad delicatos illos cibos animæ foven-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 M 45

dæ, recreandæ, roborandæ, paratos & deſtinatos. Egregium Dei conſilium, qui Adamum ſoletur, Abrahamum lactet, Moſem, Davidem, Ezechiam erigat illa ſpe, fore ut poſt elapſa quinque vel ſex annorum millia, exoriatur Meſſias quidem, qui ſubditos ſuos ſplendidiſſimis & elegantiſſimis Conviviis debeat eccipere. Egregiam O Judæi

Egregiam vero laudem, & ſpolia ampla refertis,
Vos, veſtrique patres, veſtri & nova cura nepotes,
Ingens certe decus, magnum & memorabile nomen,

ſi Meſſias veſter, Lanio, Macellarius, Coquus, Behemoti pinguibus carnibus, Leviatanis toroſis muſculis & membranis, monſtrorum illorum botulis, farcimentis, Iſiciis, latrantes ſtomachos veſtros reficere voluerit. O rediviva, recocta Eſavi prophani indòles, qui lenti, vili cuidam cibo, eximia ſua πρωτοτόκια, & Sacro ſanctum Jus primogenituræ poſt ponere non erubuit. O Nugæ omnium nugaciſſimæ, O ineptiæ ſomniantium vel ægrotantium fruſtrantibus deliciis annumerandæ, Deorum epulis Mythologicis accenſendæ, Mahometis portentoſis conviviis æquiparandæ, imo quæ Marci Grunnii Corocottæ Porcelli ludicro teſtamento adhuc abſurdiores, omnes abſurditatis lineas videntur tranſilire.

Exultet anima noſtra Auditores ornatiſsimi, oleoque Lætitiæ perfuſi, grates Meſsiæ fundamus quas poſſumus maximas, quod tot ineptiis, tot erroribus, tot tenebris liberatos & ereptos, nos in Goſen ſuam, regni que ſui radiantes limites tam fæliciter tranſportavit. Et ſi Philoſophus ille famigeratiſsimus, ſingulis diebus grata mente recolebat, varia à DIs in ſe collata beneficia, oraque lætus ſolvebat, gratias illis laturus, quod, illum hominem, Græcum & Philoſophum condidiſſent. Non minor nos

nor nos inſideat erga Deum gratitudo, quod rationi noſtrę corruptæ ſuppetias tulerit, quod Chriſtianorum titulo tam liberaliter nos decoraverit, quod philoſophiæ cæleſtis laticibus ora noſtra proluerit, æternæque ſapientiæ Theſauros & Arcana reſeraverit.

Floreat Eccleſia Chriſtiana, eluſiſque pſeudodoctorum fraudibus & conſiliis, ſufflaminatis Judæorum portentoſis fabulis, expulſis paganiſmi miſerandis reliquiis tanquam feraciſſima vinea à mari ad mare παντελῶς fruticeſcat. Miretur orbis ſe ſubito factum Chriſtianum; tam glorioſo pondere letetur & ſuperbiat, Lætifcra quę coma obumbret

Ardenteſque plagas Auſtri, ſeptemque Triones
Eooſque ſinus, ſolis que cubilia Gades.

Floreat Reſpl. Belgica Meſſiæ pupilla ſemper deſideratiſſima. Romanam, Spartiacam, Athenienſem gloria & diuturnitate ſuperet. Magiſtratuum Regimine, Eccleſiaſtarum doctrina, populorum ſanctitate, incolarum arte & induſtria, nulli unquam ſit ſecunda,

Suique
Nulla ſit in terris regio non plena laboris.

Floreat Auriacus, celſiſſimus ille Princeps, tot Imperatorum, Regum, Principumque non inficianda propago. Sit Gentis ſuæ decus, Eccleſiæ tutamen, Patriæ propugnaculum & orbis deliciæ. Vivat, Fæderatorum Belgarum columen, bonorum ſolatium, impiorum vero malleus & flagellum. Sit juſtitia clarus, conſiliis potens, executione fęlix,

Hunc Seruet olympus
Ut tandem vincto redeat paxcandida Bello.

Claudat Auguſtiſſimus princeps, Æternûm, claudat Jani Templum, &

Hoc

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 M 45

Hoc Iovis incremento;
Heu ferrea tandem
Deſinat, & toto ſurgat gens aurea mundo.

Floreat Urbs Lugdunenſis, Æternæque urbis veros conſequatur honores. Et Abelam vincat conſilio, Tyrum elegantia, Hieroſolymas ſanctitate, Antiochiam θεȣ̃ παρȣσία, Alexandriam opibus, Crotonem ſalubritate, Saguntum fidelitate, Carthaginem gloria, Romam ipſam Senatus dignitate, Artium cultura, ſcientiarum ſplendore, æternoque Palladis ac Muſarum patrocinio.

Floreat denique Alma hæc & Inclyta Academia, Meſſiæque doctrina omnibus ſe commendet. Concordiæ laude omnibus palmam preripiat, veritatiſque & orthodoxias, per totum terrarum orbem, primarium & fidiſſimum ſemper audiat emporium.

ERRATA.

Pag.	*Lin.*	
8.	3.	tivitas.
14.	9.	fluentium.
18.	3.	ſta
30.	9.	400.
32.	15.	rarent.
38.	9.	nova.

FINIS.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 M 45

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 M 45